Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1069
Quelle:
Copyright:

horlewan predicator eximius. et doctus vir in Theologia Et in Jure Canonico prout hic relucet ex dictis suis facit questionem dicens: Queritur an layca persona possit singulis septimanis suscipere corpus cristi dimissis argumentis contra: Respondetur adfirmando, et quidem mere adlatis *Determinationibus* aliorum Doctorum, quorum Recentiores adscribo: *Magister Franciscus Canonicus in ecclesia S. Crucis et rector Parochialis ecclesie in wratislauia. Magister Nicolaus wendlat decanus ecclesie S. Crucis in wratislauia vir illustris et deuotus. Magister Matheus de Cracouia doctor in Theologia Universitatis Pragensis. Magister Adalbertus Ranconis* (al. Rauconis de Ericino sive Iglavia) *magister in artibus et doctor in Theologia Parisiensis. Frater Dauid* (de Augusta) *de ordine minorum professor sacre scripture. Venerabilis vir Abbas fratrum Conuentus de Aula regia qui fuit mire deuotionis ita ut cum esset abbas resignauit ob deuotionem ante mortem.* Citatur hujus *Malogranatum*, cujus Autorem *Balbinus Matthaeum*, Editores vero *Balbini Boh. Doct.* P. II. p. 161. *Gallum* vocant, eo, quod in Serie Abbatum *Matthaeum* nullum repererint, cujus caussa fortassis est mox memorata ejus Resignatio. *Venerabilis vir et illustris predicator Militius.* Hujus Postilla titulo *Gratie Dei* citatur, quam *Balbinus* praeteriit. *Venerabilis vir amandus.* Cognomen id est *Henr. Susonis* O. P. cujus testimonium ex *Horologio Sapientiae* adfertur. Reliquae *Determinationes* Patrum sunt et antiquiorum Scriptorum, in Argumento Seculo, ut notum, elapso magno animorum aestu rursum agitato. De *Mathia Paris.* dixi ad *Cod.* CCXVI.

Ambit *Codicem* Membrana Fragmentum *Libri Numeror.* continens, hebraice Seculo, ut videtur, XIV. eleganter exaratum cum punctis vocalibus.

CCLXXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 236. f. per quas columnas exaratus complectitur varia *Opuscula, Literas, Sermones* et *Preces Petri Damiani* ex Benedictino S. Crucis Avellanae Monacho Cardinalis Episcopi Ostiensis, Sec. XI. Scriptoris, quae paene omnia in *Editione Paris.* 1664. f. IV. *Tomis* constante leguntur. Juvat tamen quaedam minutius persequi. *Fol.* XII. p. 2. Libellus inscribitur: *Invectio contra Symoniacos de pena Infernali*, et incipit: *Queror aduersum vos symoniaci.* Libellus hic in praedicta *Edit.* T. III. p. 59. connectitur cum Opusculo inscripto *Gratissimus* a *Cap.* XXXVII. usque ad finem. 73 /nunc. VI. B.

Fol. XXVI. p. 2. *Liber qui vocatur dominus vobiscum* in *Edit.* T. III. p. 96. XVII. Capitibus longior est, deficientibus in *Cod.* Capp. II. — XVIII.

Fol. XXXVIII. p. 2. Opusculum inscriptum: *De ordine vite heremitice*